



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XXIII. Hortatur ad custodiam, & augumentum virtutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

estimabilibus gaudijs plenum, glorio-  
sa victoria, & infinita lætitia compa-  
retis.

## CAP. XXIII.

*H*ortatur ad custodiam, & augu-  
mentum virtutum.

**C**A V E T E , filij, ne vulpes paruæ,  
quæ demoliuntur vineas, prouen-  
tum vinearum vestrarum, quas multo  
labore coluistis , impediant. Ne con-  
temnatis minima, neque animi remis-  
sioni locum detis: habetis enim pretio-  
sissimum thesaurum gratiæ , & virtu-  
tum, in vasis fictilibus corporum mor-  
talium : & in vobis ipsis geritis, vnde  
certamina periculosa toleretis. Væ il-  
lis , qui cum rubore, ac sudore arduas  
virtutes, in schola mea compararunt,  
& quasi de victoria securi dormitare  
incipiūt. Non est consiliū sanum, secu-  
rè dormire, ubi fures effodiunt, & fu-  
rantur. Sanius consilium est, quod dé-  
derunt pastores illi, qui in nocte nata-  
lis mei, erant vigilantes, & custodien-  
tes, vigilias noctis , super gregem su-  
um. Certè mirabile est, homines super  
greges

greges pecorum vigilare ; & seruos  
meos nimium super se dormire, quasi  
in vanum acceperint animam suam.  
Nolite somno grauari, filij mei, quia  
in terra inimicorum estis, qui tota die  
constituunt vobis prælia. Currite ve-  
lociter, & sic currite, ut comprehen-  
datis. Date animas vestras pro testa-  
mento meo, parati potius mori, quam  
cælestis gratiæ mori, & virtutum mea-  
rum detrimentum pati. Nonne vide-  
tis, gehennæ filios diuitias ita custodi-  
re, & augere, ut interspinas viuentes  
nunquam sollicitudine careant? Vti-  
nam & vos diuitarum mearum detri-  
menta timentes, staretis semper, ut cu-  
stodes lectuli Salomonis gladium te-  
nentes, ac solliciti propter timores  
nocturnos. Hæc est pars magna pru-  
dentiae Iustorum, qui postquam iusti-  
facti sunt, diligentissime vigilant, ne  
fortè reprobi fiant. Ibi culpam timent,  
vbi culpa non est: & præ desiderio mei,  
susplicantur fures, vbi non sunt. Gloria  
quippe, & diuitiæ in domibus eorum,  
quarum custodia sollicitudinem gene-  
rat, receditque somnus ab oculis eo-

rum , vt olim recessit ab oculis Iacob  
charissimi amici mei. Hæc sit, ô filij, æ-  
mulatio vestra: cauete, ne extinguitur  
in nocte lucerna cordis vestri: Manum-  
que vestram mittite ad fortia, & nun-  
quam à labore, & fatigatione, pro cœn-  
seruanda cælesti gratia mea , animum  
relaxetis. Et ego laborantes adiuuabo,  
& replebo operibus benis, quæ in pace  
mea vos morientes sequentur. Et sua-  
gissimus spiritus meus dicet iustis  
meis, vt iam bene probati, dulcis-  
simè requiescant à labo-  
ribus suis.



TER-